

strorum proposita fuissent, ac ex parte quoque Maiestatis nostrae Regiae secutae eatenus benignae Resolutionis puncta seu Capitulationes iisdem Augustanae Helveticaeque Confessionis addictis pro bono pacis et tranquillitate praefati Regni nostri Hungariae, eiusdemque paterna cura et sollicitudine nostra gratiose imperitiae perfecta exstitissent. Extunc idem Magister Protonotarius, interposita eatenus solenni protestatione de non consentiendo in eandem benignam Resolutionem nostram eiusque universa Puncta et quaslibet Capitulationes, neve eadem et eadem de praenotatis Regnis nostris Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae intelligantur, ne quidquam Juribus ipsius protestantis et dictorum Principalium suorum praeiudicare possit et valeat quoquo modo de praesenti vel etiam in futurum. Qua eiusmodi exaudita et bene intellecta, praementionatorum Augustanae et Helveeticae Confessioni addictorum Ablegati et Plenipotentarii protestationi ibidem una cum caeteris Regnicolis in Domo Consessus soliti existentes, nihil se in praelibatis Regnis nostris Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae quoad praemissa gravamina, postulationes et Instantias suas et suorum Principalium, praeviaeque benignae Resolutionis nostrae Puncta et Capitulationes, inductionesque aut quascunque excoGITABILES interpretaTiones et formalitates, sancientos denique forsitan superinde articulos, Leges vel Statuta postulare, aut quovis sub praetextu vel colore habere velle, multo minus praetendere uno ore conclamantes respondissent, unanimique voce et voto assecurassent, imo sponte ac benevole ultroque in eandem antelati Protestantis contradictionem, Inhibitionem et protestationem modo, quo supra, factam consensissent, eandemque acceptando ratam, gratam atque firmam pronunciassent. Unde tam coram Eadem praesentia nostra Regia, quam et antelatis universis Statibus et Ordinibus iterum atque iterum superinde solenniter protestando, universis et singulis praeviae benignae Resolutionis nostrae punctis et capitulationibus nostris contradixisset, eademque et easdem prohibuisset et inhibuisset, prout protestatus fuisset contradicendo, inhibendo et prohibendo contradiceret, denique et inhiberet prohiberetque protestando palam, publice et manifeste. Harum nostrarum Sigilli nostri Judicialis et authentici, apud praememoratam praesentiam nostram habiti, munimine roboratarum vigore et testimonio Litterarum mediante. Datum in praeattacta Civitate nostra Soproniensi pro Festo omnium Sanctorum Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Octuagesimo primo supranotato.

Leopoldus m. p.

(Locus Sigilli Judicialis Regii.)

In dextro inferiori margine.

Lecta et extradata per me Stephanum Orban Altetitulatae Suae Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis Personalis Praesentiae in Judiciis Locumtenentem et Consiliarium m. p.

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 140½.